

VC
4859





ORATIO SOLENNIS
AD
PACIS
WESTPHALICAE

MEMORIAM SAECVLAREM
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
ERLANGENSI

D. XXIV. OCTOBR. MDCCXLVIII.

PIE CELEBRANDAM

RECITATA

A

IOANNE MARTINO
CHLADENIO D.

SS. THEOLOGIAE, ELOQVENTIAE ATQVE
POESEOS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
TEMPLIQUE ACADEMICI PASTORE



ERLANGAE
LITTERIS VIDVAE IO. FR. BECKERI, ACAD. TYPOGR.

ORATIO SOLENNIS
AD
PACIS
WESTPHALICAE

MEMORIAM SAECVLAREM
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
ERLANGENSI
D. XXIV OCTOB. MDCCXCVIII
PIS CELEBRANDAM


RECITATA
A
IOHANNI MARTINO
GILADENIO D.

SE. THEOLOG. PUBL. ACADEM. ATOVS
PUB. PRO. E. PABLICO ORDINARIO
TIMPTIO ADAMICI PASTORE



ERLANGEN
LITTERIS AEDAE IO. H. NEUBERGER ACAD. TYPOG.





AVDITORES OMNIVM ORDINVM SPECTATISSIMI!

IAm inde a plurimis quidem retro saeculis, Germaniam cuncta Europae regna suspicere consueverunt; ex quo nimirum Imperii Romani Maiestatem ad Germanos fortuna transtulit a Francis: sed ad summum haud dubie fastigium nationis nostrae gloria perducta est saeculo decimo sexto; maximarum conuersionum in diiunctis quibusuis populis feracissimo. Ciuilibus bellis, quibus maxime rerum franguntur publicarum vires, per saluberrimas Maximiliani Leges, feliciter extinctis, Germania tunc erat, prae caeteris gentibus, pacatissima: collato in Carolum V. noui veterisque orbis Regem, Romano imperio, eadem erat potentissima, et vicinis populis non sine causa metuenda: lumen literarum, quamquam illud, quasi coclo delapsum, multis simul affulsit populis, apud nostros tamen multo celerius, quam in regionibus caeteris, ad omnes prouinciarum penetrauerat angulos, patriamque nostram reddiderat illustrissimam:

sed puritas sacrorum restituta, in quam hinc opprimendam, hinc ad se deriuandam, crebrae conspirabant gentes, Vitebergam Romae, nominis fama, acquauerat; simulque Germaniam per vniuersum Christianum orbem, prae cunctis gentibus, religionis studio nobilitauerat. Et quis tot incrementa fortunarum in vnum putet confluere potuisse populum, quin et opes, quae ex fodinis maioribus nostris iam erant maximae, mirifice crescerent; nisi forte is, qui potentiae, et humanitatis, ac pacis, vim in ditandis penitus ignoret hominibus! Neque etiam per vniuersum illud saeculum, quempiam belli motum meminimus concitatum, quamquam varii et graues exarsere, qui diuturnitate furoris, aut imperii viribus, aut apud externos reuerentiae, insigniorem attulerit cladem.

Atque aeuo tam memorabili, tamque felici, haud dissimile videbatur succedere saeculum, decimum septimum; cuius initium, ad instar autumnii, maturos a longa coeli clementia fructus, in sinum hominum, ingruentis brumae, ac horrendae tempestatis, nimis securorum, abunde effundebat. Sed mutata, cheu! a bello Bohemico, rerum facie, sensim paulatimque alii, ex alia, Germaniae parti, pax, foederum fides, virorum opumque abundantia misere erepta, et in foedam urbium, vicorum, vastationem, hominumque stragem conuersa est. Lunam nouimus, cum pleno fulget orbe, tum maxime hominum in se conuertere oculos, eoque tempore minimam caliginis, quamquam imminetis, suspicionem praebere: vnos au-

tem

tem Astronomos iam tum in promptu habere in concauas
diuisam partes Phoeben; vt, quemadmodum lente im-
mergatur atrae nocti, diligentius spectare, spectataque
ad posteritatis fidem possint describere. Haud secus in Cir-
culos, non quidem ad lugubre id officium, distributa
Germania horrendum circumiectis gentibus, imo sibi ipsi,
praebebat spectaculum, vbi cernerentur bellicae calami-
tates, tristissimam animis caliginem offundentes, e pro-
uinciis in prouincias, e Circulis in Circulos transferri, fac-
piusque, vbi iam satis atra regnabat nox, ibi tamen
nouam, vastandis pacis reliquiis, noctem instaurare. Cessat
enim lumen, vbi homines, qui lumine fruuntur, esse desi-
nunt. Quid multis! non prius de coercendis miseris,
consilia, nimirum serua, prostrataeque patriae accommo-
data, sunt inita, quam nec viri, nec tributa, ac ne
quidem exactiones crudelissimae, iusto bello suppeterent
gerendo, sed omnis Germania vnum iam esset latrocinium.
Incussa tandem mentibus vera pacis cupiditate, quam
longus, isque asperrimus, instabat a consiliis ad ipsam
pacem transitus? cum non, vt plurimis in bellis, Princeps
Principi, sed Caesar multis Regibus, ipsisque Imperii Sta-
tibus, hi autem sibi ipsi, multis modis offensi, essent
conciliandi: nullaque tam aequa in medium proferretur
pacis conditio, quae non plurimis statim displiceret.
Vecors sit oportet, omniumque ignarus rerum, qui vbi
immensam laesionum, expilationum, depraedationum,
quae tum vindicandae erant, molem animo voluit, non

statim fentiat, haudquaquam humano conciliationem potuisse stabiliri consilio, sed aut ad internecionem vsque vnus alteriusue partis pugnandum, aut singulari plane Numinis cura opus, fuisse, qua pectora Principum, ipsis cladi- bus continuis exasperata, ad ineundas, quae ad concordiam ducerent, vias flecterentur. Accidit itaque, vt diuino, quod vnum superest rebus desperatis, auxilio, Osnabrugis atque Monasterii, condictis totius fere Europae comitiis, ex summa voluntatum diffensione, primum laesarum partium querelas audiendi extorqueretur patientia, deinde aequis eas conditionibus submouendi gigneretur voluntas, tandem definito modo satisfaciendi, restituendi, pacemque in posterum colendi, aeterna sanciretur lex atque promissio.

O! fortunatum diem vigesimum quartum Octobris, quo prima, reuocatae a coelo in terras Germanicas concordiae, pignora, signatae nempe Legatorum nominibus Pacis tabulae, vltro citroque data, atque accepta, sunt: O! laetissimum diem, quo tot Principum legati, cum ipsi Principes non possent, in mutuos amplexus ruentes, optatum inimicitiarum et calamitatum finem, tot fatigatis, et ad incitas redactis, gentibus sponponderunt. Hoc tandem die belli faces, vel inter fumandum adhuc terribiles, feliciter extinctae: hoc die placati sero Numinis voluntas certissimis manifestata est indiciiis. Nefas esset, et in humanitatem saeculi nostri iniurium, si tanti memoriam negotii non summo studio instauraremus, neque nostrae, erga
antiqua

antiqua Numinis beneficia, pietatis documentum posteritati, ad imitandum, relinqueremus. Cuius rei cum procuratio, magno Patrum Academiae consensu, mihi sit demandata; non mediocris me circumstare cura coepit, de qua potissimum re, tam illustri die, renatae Germaniae sacro, in amplissima hac concione verba essent facienda. Occurrabant animo causae Pacis, id est ipsum atrocissimum bellum, quo sic vastata est Germania, ut passim etiamnum incendiolorum indicia in ruderibus arcium, et castellorum, conspiciantur, et, contractis opidorum limitibus, hinc inde nuda arua cernantur, ubi frequentes fuisse habitationes a maioribus cognouimus. Ast tam longam malorum narrationem, neque Orationis breuitati, neque diei huius laetitiae conuenire, statim patet. Aptior videri poterat Vestro, Auditores, auscultandi studio, ipsius Pacis historica descriptio; quam, tametsi mentibus iam teneatis, non grauius tamen Vobis foret audire, atque lectu vtilia, et iucunda, in museo, iteratis vicibus legere pridem consueuistis. Ast! quam exiguum amplissimi, et ultra quinque annos protracti, negotii foret efficiendum compendium. Atqui, Romanos noui Scriptores in ea potissimum re exercuisse ingenium, ut longissimas historias non solum in breue volumen, sed plane in nucem, cogerent; neque tamen non vehementer laudari Iustinum, Nepotem, Florum, Aurelium Victorem, alios, qui singulis saepe versibus lustrorum res gestas, et amplius, comprehenderunt. Cuius artis arcana quo

penitius explicare alicubi annis sum, eo melius intelli-
go, istam compendiarium narrandi rationem ad nego-
tia pacificatoria transferri vix posse. Quapropter, ali-
am commodae Orationis materiem quaerenti, occur-
rebant Veneranda Legatorum ad Pacem Vestphalicam
constituendam Nomina; Nomina, inquam, Viro-
rum Heroumque, qui singuli, vt orationibus Panegy-
gricis nullo non saeculo celebrari debeant, meritorum
suorum magnitudine sunt consecuti. Quemadmodum
enim apud Graecos, atque Romanos, praeclare de repub-
lica meritis statuac ponebantur, quo in oculis populi
quam diutissime haereret illorum memoria; sic, anti-
quato isto more, aut certe solis Principum personis vin-
dicato, in eruditorum tamen animis infixas esse decet
imagines Vollmarii, Granii, Auautii, Seruientis, Sal-
uui, aliorum, qui inusitato vtriusque militiae viris la-
bori, Comitibusque noui generis, admoti, superatis
omnibus, quae ex rei et nouitate, et amplitudine, innu-
mera nascebantur, impedimentis, ad optatum consilia
Pacis deduxerunt exitum. In hoc igitur laudandi labore
potissimum haerere gestiebat animus. Neque etiam quic-
quam Vobis, Auditores, ingratum me prolaturum exi-
stimabam, si innocenti huic meae indulgerem cupiditati.
Saltem Orationis limitibus, ne instituti magnitudine tur-
barentur, consulendum esse praecuidi. Id quod consecu-
turum me iam arbitror, si, non quid in singulis, vel lau-
dandum, vel memorandum sit, persequar, sed si ipsum
virtutum,

virtutum, et meritorum, genus describam, quo summis, quos Europa vnquam genuit, viris accenseri meruerunt. Tunc enim homines nouimus, cum, quid cuique vel virtutis propriae, vel vitii, inhaereat, habemus cognitum. Vulgus habitum oris, ac corporis, spectare solet: docti animum cernunt. ARS itaque PACIFICATORIA est, quam isti viri, non differendo, sed statim exercendo, et ad salutem Germaniae expromendo, orbi Christiano, faustissimis ominibus, intulerunt; vt prope dubitem, de vtrius rei saeculari memoria magis laetari debeamus; num de pace ipsa, quae diuina arte ista conflata est? an de paciscendi arte? quae, si vel primum illud patefactae artis monumentum, quod Deus auertat, aliquando rueret, nouo tamen conficiendo certissima adiumenta foret allatura. Mihi certe constitutum est, de vtroque coniunctim sic agere, vt non simplici, sed duplici, pariterque maximo, orbem beneficio, superiori saeculo a Numine maectatum, si me amplius beneuole audire velitis, haud dubie, Auditores spectatissimi, cognoscatis.

Nimum ferax est caussarum belli natura mortaliu. Quae enim lites, iurgia, atque duella, inter singulos pariunt, eadem gentes in mutuas caedes, et vastationes, siue in bella, concitant. Quapropter vanus est, qui eiusmodi rerum statum otioso fingit animo, vt vel in orbe vniuerso, vel in Europa, humanitate scilicet, ac religionis sanctitate florentissima, bellis in vniuersum, vllis humanae

fapientiae consilii possit occurri. Satis est, quo studia pacis remunerentur, praemii, si non omnia bella, sed multa saltem, animis principum decreta, antequam erumpant, opprimantur; quae vero eruperunt, non demum exhaustis populorum viribus, ac regnorum ruinis, sed aequis conditionibus, et integra adhuc ius suum armis tuendi facultate, finiantur. Haec autem vt arte, atque consilio, obtineantur, ante omnia in animis Principum fitum est: ne scilicet infinito hostis odio ardeant; ne vindictae furens desiderium alant; ne truculenta morositate malint extrema pati, quam fortunae, et victoris arbitrio cedere. Quibus vitiorum furis nisi Principum pectora sint vacua, nullus aut paci, aut arti pacificatoriae, locus datur. Vbinam vero gentium opportunam, quam desideramus, Principum indolem reperiemus? nisi inter eas, quae disciplina Seruatoris imbutae sunt? Huius nempe in formandis emolliendisq[ue] hominum moribus tanta vis est, vt, qui doctrinas coelo delatas vel mediocri fide comprehenderit, is et ab odio infinito, et ab insatiabili vindictae fame, et a desperatione, pariter abhorreat; vere autem pii, non solum subsidiis pacis, sed, qui omni pace maior est, amore etiam, abundant. Quae religionis Christianae amabilis praesentia, ad ipsos scelestos contactu penetrans, cum in singulis cuiusuis conditionis hominibus, tum maxime in Principibus, fit conspicua; quorum vera virtus vt manifeste populos beat, sic virtutis qualiscunq[ue] imitatio nihilo fecius publicae saluti plurimum prodest. Quare

Chri-

Christianus Princeps cum, vel in mediis castris, nedum in sanctiori cubiculo, gestat animum, vt, in quocunque rerum articulo, siue premat hostem, siue prematur, neutiquam a pace sit, aut danda, aut accipienda, penitus alienus. Non dico, quod pacem semper velit, id enim verae saltem pietatis est, quam vtinam in cunctorum Principum virtutibus commemorare liceret; sed saltem effici posse, vt velit.

Atque hic artis pacificatoriae primum sese exercit munus; efficiendi nempe, vt qui pacem non penitus abhorret, nec tamen vult, velle incipiat. Quod quomodo obtineri queat, non intelligitur, nisi intercedente reconciliatore, siue mediatore; qui studium pacis inter bellicos apparatus, ac strepitus, dimissum, reuocet in memoriam, relictasque scintillulas abiectae, et proscriptae, amicitiae, exsufflare amica monitione annitatur. Neque ab aliis initiis pacem Westphalicam, quamquam lentissimis incrementis, succreuisse monumenta docent. Gloria facinoris tam eximii, tam ardui, Regem Daniae, Christianum IV inter sidera retulit; qui, quo spiritu, quo successu, venas iratorum Principum, num pacis consilia paterentur, tentarit, ipsamque pacis cupiditatem elicuerit, vel ex Caesaris, ac Saluii, intelligitur literis; quarum illae interpositam Regis auctoritatem, hae indefessum laborem et fortia praedicant monita. Iam priscas requirentibus rerum memorias, non quidem nulla omnino offeruntur reconciliatorum exempla, nec tamen admodum frequentia, numquam autem tale, quale praebuit

praebuit Christianus; in tanta nimirum difficultate rerum, et tam obstinato belli studio, vt septem omnino annos in Praelimiribus Pacis, seu aditu ad audiendas expromendasque pacis conditiones, laborasse se questus sit Saluius. Tam longo temporis tractu, quis dubitet, omnes pacificatoriae artis, qua reconciliatoris officium spectat, partes fuisse expletas? hinc pacis amorem excitando, hinc interpretem inclinatae voluntatis eo temperamento agendo, vt non timore, sed salutis publicae desiderio, pax appeti videretur; hinc denique impedimenta arcendo, quibus consensus de disceptandi loco, tempore, et securitate, sufflaminaretur; ipsumque consensum repetitis admonitionibus adiuuando. Quae cum omnia sine artis magistro, sine exemplo, feliciter tamen, a Christiano IV. sint gesta; a quo magis autore, quam a Deo ipso, artem pacificatoriam, saeculo superiori, orbi donatam atque impertitam, existimemus?

Principem, intelligunt omnes, ad sustinendam mediatoris, seu reconciliatoris, personam requiri, pacis vere studiosum, multisque virtutis suae indicis iam inclitum; quo belligerantibus persuadeat, non suam in adhortationibus ad pacem rem versari, sed orbis, sed Dei. Sacerdotem quasi pacis, atque amoris, agit reconciliator; cuius omnis autoritas magna, eaque vera, nititur humanitatis, atque pietatis, opinione.

Atque haecenus sacris Principum personis inhaeret ars pacificatoria: cuius praecleara vis simulac qualemcunque pacis appetitionem produxit, statim LEGATORVM opus feruere

vere incipit. His iam iam turpe non est, quippe delectis
constituendae pacis ministris, Principis sui ad restituendam
pacem enixam propensionem palam praedicare, aduersamque
partem ad eiusdem laudis accumulationem pro-uocare; praesertim
cum vel simulatum pacis desiderium aliquod adiumentum nonnunquam
afferat procreando desiderio vero. Sed hic iterum ars cognoscitur
pacificatoria, nisi inter Christianas gentes, locum habere non posse;
ideo quod apud profanos, et barbaros, pacis non studium, sed
odium, gloriosum soleat reputari. Ipsum autem, illudque sanctissimum,
Legatorum munus in disceptandis pacis conditionibus, vel ut vocant,
NEGOTIANDA pace versatur. Venia hic a me, artis pacificatoriae
historiam memorante, vocabulis parum Latinis identidem est exoranda;
eaeque haud aequo iure nobis deneganda ab illis, qui cogitent,
tam nouam eam esse artem, ut nec notiones, nec verba, eam
ingredientia, ante Pacis Westphalicae auspiciatissimam
aeram, multo minus prisco Latio, fuerint visitata; non quod
ante nunquam pax sit tentata inter ferro decertantes,
sed quod arte res nondum gerebatur. Itaque, quamquam
et olim de pace disceptatum legatur, minus tamen ea vox
nouum exprimit legatorum officium. Disceptatio enim iamiam
belli quaedam est species; faciliusque a verbis, ad vim et
arma transit, quam ut commodum ad pacem aditum patefaciat.
Negotiationis autem mercatoriae alia est indoles, ubi addendo,
detrahendoque, itemque rerum pretium verbis, ac demonstratione,
augendo,

deprimendoque, temporum denique, et dierum, opportunitates captando, res geritur; quorum nihil fit in disceptationibus. Illa itaque legatorum officiis sunt simillima, fatisque demonstrant, NEGOTIATIONIS VOCE non posse deprehendi aptiorem, ad indicandum legati grauiissimum munus; eandemque, quodcumque demum tractetur inter gentes negotium, commodissime adhiberi.

Non temere suspicor, fore plerosque, qui existiment, sicuti Iuris Gentium doctor nullus fit, nisi qui de Legatorum personis ac iure disputet; sic de officiis quoque Legatorum, seu de disceptandi, vel potius negotiandi, arte, idonea praecepta, istis a doctoribus non posse non esse tradita. Sed nulla magis quemque spes, quam ista, fallere potest. Tam parum usitata fuit, ante saeculum, ars pacificatoria, ut de amplissima eius parte, quae negotiatione continetur, nihil a Grotio, atque Pufendorffio, quos primarios Iuris Gentium autores veneramus, praecipitur. Atque de Grotio, pace Westphalica antiquiore istius Iuris scriptore, non magnopere miror; Pufendorffium, rerum a Saluio, totaque legatorum ad eam pacem cohorte, gestarum optime gnarum, illud illustrissimae artis lumen suo libro non intulisse, non mediocriter obstupesco. Quicquid autem eius rei sit, si omnino, ante saeculum decimum septimum, a Legatis ars pacificatoria non maiori studio fuit culta, quam ab incuntis saeculi scriptoribus est explanata, posset quis colligere, totius artis saluberrimae vestigium ante Westphalicam pacem extitisse nullum: id quod tamen,

certis

certis ex omni historia edoctis exemplis, remotissimum a
veritate ipse contendo. Neque enim opus est, vt, ortum
artis pacificatoriae superiori saeculo asserendo, omnia eius
artis rudimenta, aut elementa, suo more ingeniosis, ac
bene meritis, eripiantur nostris maioribus.
Nonsolum autem inanis est, et sterilis, Grotius, in
exponendis Legatorum, et Oratorum pacis, officiis, co-
usque quidem, vt, si non alium autorem sequamur, et
tabellarium, et nuncium, et buccinatorem bellicum, et le-
gatum, eiusdem indolis personas facile arbitremur: quo-
rum quemque violari nefas est; sed etiam legatorum illustre
officium non mediocriter obscurat. Minus adhuc inexpectatum
quid proferam. Eiusmodi praeceptum Grotius
suis doctrinis admiscuit, cui si obtemperatum esset, nullam
omnino negotiandi, vt nec maiores habuerunt, artem
haberemus. Percommode Principum sapientia, rerumque
usus, pernicioso, nec tamen malo animo profecto,
dogmati repugnauit. Docet enim: optimo iure reiici posse,
quae nunc in usu sunt, legationes assiduas: quibus, quam
non sit opus, doceat mos antiquus, cui illae ignoratae.
Improbat nimirum, quod Gallorum instituto, multo
magis posthac, et diligentius, a Richelio exculto,
ipso pacis tempore legati vltro citroque mittantur, com-
mercia gentium assidue tuentes: mallet eos non mitti,
nisi cum aut bellum sit denunciandum, aut facienda
pax. Metuit credo, ne legatus, per continuos menses,
et annos, in Aula haerens, minus habeatur reuerenter,

atque suae non parum sanctitatis perdat; quemadmodum
post tres saepe dies piscis vilescit, et hospes. Sed confu-
tando breuissime errori sufficit, monuisse, antiquam assi-
duarum legationum ignorationem, minime eo valere, vt
constet, bene, sapienter, atque vtiliter, priscos mortalium iis
legationibus caruisse. Multo rectius ex infinitis veterum
bellis, atque aeterno gentium, inprimis vicinarum, odio,
quod nullis potuit foederibus pacis exstingui, colligimus,
egregio pacis subsidio maiores caruisse, quo posthac sic
frui Europa coeperit, vt multo minus, quam ante, eius
gentes mutuis odiis dissociantur.

Quam multa hic in laudem possent legationum assi-
duarum commemorari? Praestare ausim, amicitiam et
foedera inter gentes seruari non posse, nisi haec per
facunda legatorum ora saepe, imo constanter, atque
familiariter, colloquantur. Neque enim Principes aut
crebris salutationibus mutuam benevolentiam signifi-
care, aut de communibus vtilitatibus consilia conferre,
aut denique de leuioribus offensionibus, et illatis in-
iuriis, quae inter subditos diuersorum Principum fa-
cillime nascuntur, disceptare possunt, nisi aut per
litteras, aut per legatos. Sed literarum commercia
et lenta sunt, et disceptationi minime accommodata.
Quam multa, paucis momentis, et opportune, ore
legati; quam pauca vel longissima epistola, et incer-
tum, an in rem et tempestiue, exponi possunt? Ne-
que tamen sine subtiliori negotii discussione consensus
potest

potest conciliari: discussio autem nisi pluribus quaestio-
nibus, responsionibusque, nunquam perficitur. Sed
nonne vanus sum, qui colloquia epistolis anteponenda
esse demonstro? quasi vero ea res non ex vniuerso ne-
gociandi more, et usu, fatis superque constaret? Sit
ita! à me tamen, in Grotio confutando versante, quod
eius acumen fugit, tritum reputari minime potest. Ast,
ne id quidem cogitasse Iuris noui conditor videtur, le-
gatos, nisi crebro, diu, imo assidue, isto fungantur
officio, non multum a tabellariis differre, iis certe
perparum praestare? Quid enim, apud ignotos, subito
allatus hospes, quorum nec mores, nec ingenium, et
ne quidem vultus callet, aut ad incundam gratiam, aut
ad conciliandam sibi fidem, adiumenti potest afferre? Pa-
rum est mandata, magna fide, addo etiam, auto-
ritate, exponere: hoc artis est, eo temperamento,
eaeque cautione, proferre, vt leniter postulata, et quasi
per guttulas, mentibus illabantur, et, si non statim
probentur, saltem, quae probabilia negociando fieri
queant, videantur. Id num in rarioribus, et ex cito exi-
tu maximam commendationem habentibus, legationibus,
vel potius denunciationibus, quibus Grotius delectatus
esse videtur, obtineri queat, haud difficile erit aesti-
mare. Cognoscite hinc, Ciues, atque Commilitones hu-
manissimi, quantum intersit, vtrum praecepta naturae
ex ipsis fontibus, id est, ex ipsa rerum contemplatione,
hauriantur, an vero ex veterum dictis, factis, exemplis,

quasi honesta et gloriosa spolia, in volumen nouum, ceu iustum infinitae lectionis trophaeum, congerantur. Damnat Legationes perpetuas Grotius ideo, quod magis curat, quid Graeci, atque Latini, egerint, praeceperint, quam quid aeternae salutis publicae postulent leges. Ac tueri quisque suum autoritatis errorem facilius potest, quousque, quod alii iam decreuerunt, ipse etiam decernit, quod semel iterumque sine reprehensione factum legit, faciendum docet. Ast, hoc summum autoritatis fastigium nulli, ne quidem vltimae, antiquitati est concedendum, vt, quod maiores, per morum simplicitatem, forte etiam ruditatem, non egerunt, imo ignorarunt, id nunc quoque omitti, improbari, ac repudiari, summo insuper iure posse, existimemus. Lapfos nonnunquam in ratiocinando legimus veteres Ecclesiae doctores; id, quod ab ipsis gentilibus factum sit, multo magis sibi agendum, argutando; cum rectius, quod gentilibus placuerit, suum coetum dedecere, tutiusque collegissent. Nescio autem, quae probationis forma magis sit distorta; vtrum ex exemplis parum prouide iustitiam actionis deriuantis, an plane ex ignoracione optimum ignorandi ius efficientis?

Sed, missis his, ad illud me assiduarum legationum verto praesidium, prae caeteris, ad ornandum orationis meae spectans argumentum; quod, neglectis eiusmodi legationibus, boni Legati, et pacis negotiatores, haberi ulla ratione possint. Non enim subito existunt viua ista comparandae pacis instrumenta, sed multiplici demum institutione,

tionem, et longo rerum usu, fiunt. Graue officium est, negotia gentis, siue publica, tractandi; grauius, interpretem voluntatis Principis ad alium Principem agendi; grauissimum, mandata Principis ad inimicum ipsi Principem sic perferendi, ut probentur. Huic rei Ministri status, non tam domi, quam in Aulis exterorum Principum degendo, et quasi habitando, adfuefunt; ut, cum posthac iustum gentium concilium, siue congressus, indicitur, non ignoti et peregrini, atque infueto exterorum conspectu stupidi, sed quasi familiares, et eiusdem artis conueniant socii. Tantae molis est, virorum collegium condere, qui scite, et feliciter, tractandae pares sint arti pacificatoriae.

Possẽm nunc de ipsis eius artis legibus agere: non singularum arcana explicando, quod iusti voluminis, non Orationis, opus est, sed summa legum capita strictim enarrando, quemadmodum in pace Westphalica, intra sex annos, difficillimo nisu, sint procreata; ut quaelibet iam pars certam nata sit formam, ex ipsa stabilitate, et durabili usu, maxime laudabilem. Satis autem mihi est memoriam natae artis pacificatoriae celebranti, selectis veritatem mei gaudii demonstrasse adnotationibus, quae totius artis, si rudimenta excipias, vel eluione antiquiora, nouam originem declarent. Eo autem impensius, Auditores, mecum gaudebitis, quod cum saeculari aeternae pacis, artisque pacificatoriae, memoria, Pacem nouissimam, nec manibus adhuc artificum penitus dimissam, vna gratiarum actione, et pietatis in autorem Pacis

FR 4859

V^D
 18 exercitatione, comprehendere queamus. Non neglectam
 igitur intra hoc elapsum saeculum intelligimus diuinam
 artem, sed nouo potius compendio auctam, itaque per-
 fectam, vt iam mediatoris autoritas, grauisque admoni-
 tio, non magnopere desideretur. Nobis autem, quam-
 quam aeterna laude dignissimi tantae felicitatis autores
 censeantur, certum tamen est, neque initia, neque in-
 crementa, instauratae inter Europaeas gentes arctioris
 amicitiae, humano ingenio, sed diuinae deberi clemen-
 tiae, quae pectora Principum propter populorum salu-
 tem, non singulari pietate promeritam, sed indulgentis-
 sime destinata, ad pacis studia reddidit proniora. Deus
 est, qui verbi sui virtute, nam simile quid inter Idololatrias,
 atque inimicas alias Christiano nomini gentes, nunquam
 vsu cognitum est, effecit, vt pacis desiderium profiteri,
 pacemque, reconciliando, legationes obeundo, condere,
 omnibus victoriis gloriosius habeatur. Fruentur, longe post
 nostram aetatem, feri posteris artis pacificatoriae com-
 modis; nisi contemptu sacrorum, et inde oriundis nouis
 scelerum monstris, nouis vastationibus iustissime oppri-
 mendis, Numen cogatur, vna cum pace, pacis et artem,
 et studia, et magistros, terris populisque eripere. Proinde
 summo verae religionis, et patriae, amore commoti, a
 Deo ter O. M! ardentissimis contendimus precibus, vt
 eum Germaniae statum ad sera vsque saecula clemen-
 tissime seruet, quo condenda pace, Westphalicae
 simili, nunquam indigeat.

116

ULB Halle 3

007 652 02X





ORATIO SOLENNIS

AD

PACIS

WESTPHALICAE

AM SAECVLAREM

IN

AM FRIDERICIANA
LANGENSI

OCTOBR. MDCCXLVIII.

CELEBRANDAM

RECITATA

A

MARTINO
ADENIO D.

AE, ELOQVENTIAE ATQVE

SSORE PVBLICO ORDINARIO,

E ACADEMICI PASTORE



LANGAE

O. FR. BECKERI, ACAD. TYPOGR.

